

STATUTA

SODALITATIS IGNATIANAE.

PELPLINI,
Typis „Pielgrzym".
1908.

Pius PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Cum, sicut accepimus, in Oratorio Seminarii Culmen. Dioec. pia Presbyterorum Societas erecta existat, cujus Sodales id propositum habent, ut statis diebus Spiritualia Exercitia obire soleant ad sacerdotalis virtutis augmentum; Nos, ut Societas hujusmodi majora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolor. ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis Presbyteris, qui dictam Societatem inposterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, Plenariam, ac tam descriptis, quam describendis in dicta Societate Sodalibus Presbyteris in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes

et confessi, ac S. Com. refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam Plenariam, nec non iisdem nunc et pro tempore existentibus dictae Societatis Sodalibus Presbyteris etiam vere poenitentibus et confessis, ac S. Communione refectis, qui Ecclesiam Cathedralem Culmen., vel respectivam Parochialem, aut etiam praefatum Oratorium festivitate Conceptionis Btae Mariae Virginis Imm., et diebus festis S. Marci Ev. et Ignatii de Loyola a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praefatorum id egerint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Tandem Presbyteris supra memoratis, qui corde saltem contriti quodcunque opus bonum exercuerint, sexaginta dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis

in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas Indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam Animabus Christi fidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse impertimus. In contrarium facien. non obstantibus quibuscunque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXV. Januarii MDCCCLIX. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

Pro Dno Card. Macchi.
Jo. B. Brancaleoni Castellani Substitutus.

Superius Breve Sanctissimi Patris Nostri Papae Pii IX. de die 25ta Januarii 1859 vidimus, admisimus et publicari fecimus.

Pelplini, die 21ma Maji 1859.

(L. S.) † JOANNES NEPOMUCENUS,
Eppus. Culm.

Statuta Sodalitatis Ignatianae.

§ 1.

Ad servandam gratiam sacerdotalem et ad augendam promovendamque vitam religiosam inter sacerdotes Dioecesis Culmensis, erigitur „Sodalitas Ignatiana“ sub patronatu B. Mariae V. Immaculatae Conceptionis et S. Ignatii apud Capellam domesticam Seminarii Clericorum Pelplinensis.

§ 2.

Quum B. V. Maria, hujus Sodalitatis Patrona, illam defendere ac fovere existimanda sit, quippe misericordiae mater, quae se diligentes diligat et ad eam pie et religiose confugientes tueatur ac protegat; propterea par est imprimis, ut ejusdem Sodales non modo illam praecipua veneratione atque honore prosequantur, verum etiam vitae morumque integritate virtutum

ipsius praestantissimarum exempla imitari conentur.

§ 3.

Aequo modo Sodales ad eximium quendam S. Ignatii amorem et cultum sese impellere studeant, quippe qui exercitiis suis spiritualibus praeprimis fini a Sodalitate proposito consuluerit et potens in coelo fautor ac protector noster habendus sit.

§ 4.

Tenentur Sodales, quoniam ipsi majorem quandam perfectionem profiteri debent, majus quoque studium actionum piarum adhibere. Propterea quivis Sodalis secundo quovis anno, si fieri potest, aut ad minimum semel intra tres annos exercitiis spiritualibus, quae cum consensu et auctoritate Rndmi. Loci Ordinarii Directorium (§ 12.) singulis annis haberi curabit, interesse aliosque ad ea frequentanda inflammare debet. Suadetur vero, ut alia quoque ad assequendum finem apta media exerceat, cujusmodi sunt: saepius peccata confiteri, mentali orationi et meditationi quotidie nonnihil temporis tribuere, quotidie coram omniscio Deo am-

bulare, bonamque intentionem saepius per diem in animo excitare, studio theologico, praesertim morali instanter vacare. Missiones quoque pro populo instituere curet aliaque pia obire munera, in quibus vel pro sua quisque conditione ac pietate separatim, vel cuncta simul Sodalitas poterit exerceri, quemadmodum Directorium suaserit.

§ 5.

Omnes Sodales fraternam concordiam inter se tueantur, atque ita se gerere enitantur, ut eos dignos quilibet arbitretur, qui sint in B. Mariae V. et S. Ignatii tutela. Quapropter quascunque occasiones et omnia vitare debent, quae bonum Sodalitatis nomen et existimationem labefactant. Qui pertinaciter Sodalitatis finem neglexerit, seu — quod Deus avertat — notorie scandalizaverit, praemissa iterata, si opus est, admonitione fraterna, removeri debet a Directorio.

§ 6.

Sodalem aegrotantem vicinior Sodalis visitabit, sanctis Ecclesiae Sacramentis muniendum curabit, et nisi jam antea facultates

suas distribuerit, suadebit, ut pro temporis opportunitate testamentum erigat in eoque de suis opibus in commodum Ecclesiae, pauperum operumque charitatis disponat.

§ 7.

Funus Sodalis vita functi viciniores ex fraterna charitate ad sepulturam prosequentur: omnes vero, audito vel communicato mortis nuntio, quo primum die commodum fuerit, pro ejus anima unum ss. Missae sacrificium offerent. — Sodales parochi et alii ecclesiarum rectores, defunctorum Sodalium animas populo pro solito suffragio publico per integrum annum commendabunt.

§ 8.

Quivis Sodalis quotidie peragere tenetur preces, quae inferius habentur. Praeterea suadetur, ut quovis Sabbato dicat orationem ad renovandam gratiam ordinationis cum Litaniis Lauretanis. (v. pag. 15–23.)

§ 9.

Quivis Sodalis in modum eleemosynae solvet quotannis summam pecuniae, quae

ipsi videbitur, attamen non infra tres marcas, quae partim pro necessariis impensis faciendis destinata est, partim secundum arbitrium Directorii ecclesiasticis necessitatibus distribui potest. — In Conventu generali (§ 14.) a Directorio ratio reddenda est.

§ 10.

Quoniam hujus Sodalitatis finis est virtus pietasque sacerdotis, ideo quicunque ex sacerdotibus Dioecesis Culmensis dare nomina Sodalitati voluerint, vel antequam recipiantur exercitiis spiritualibus vacent, vel saltem primis exercitiis, quae post admissionem tradentur, intersint. Recipiuntur autem a Rectore, qui novi Sodalis nomen catalogo seu albo Sodalitatis inserit.

§ 11.

Reverendissimus Loci Ordinarius almus hujus Sodalitatis Protector eligitur, quem Directorium quotannis de rebus ad Sodalitatem pertinentibus certiorem facit, et qui Directorium confirmabit.

§ 12.

Sodalitatem administrat Directorium,

cui omnes in rebus ad Sodalitatem pertinentibus obtemperabunt. Constat autem ex Rectore, qui semper ex Clero residentiae episcopalis eligendus est, et duobus Assistentibus, quorum alter ab epistolis erit, alter a colligendis et administrandis eleemosynis. Tertio quoque anno Directorium a Conventu generali aut denuo confirmatur, aut novum eligitur.

§ 13.

Rector Sodalitatis Directorii socios saltem semel in anno convocare et cum iis de rebus sodalitiis communi consilio agere tenetur.

§ 14.

Quotannis occasione exercitiorum spiritualium Conventus generalis habetur, cui omnes Sodales interesse tenentur. Mutationes Statutorum Sodalitatis nisi cum consensu Conventus generalis fieri non possunt.

§ 15.

Quo facilius haec Statuta serventur,

quivis Sodalis ea subinde legat, de iisque meditetur.*)

Pelplini, die 29. Aprilis a. 1907.

Directorium Sodalitatis Ignatianae

Neubauer. Ograbiszewski. Michalski.

*) Statuta Sodalitatis Ignatianae a Directorio: a Marwitz, Pomieczyński, Hasse, d. 11. Martii a 1856. a quibusdam Sacerdotibus electo, primo conscripta, d. 19. Maji ejusdem anni a Rmo. Episcopo Culmen. Anastasio Sedlag approbata sunt. Deinde revisa a. 1858. et approbata d. 11. Decembris ejusdem anni a Rmo. Episcopo Culmen. Joanne Nepomuceno a Marwitz, administrante Sodalitatem Directorio: Pomieczyński, Hasse, Gramse. Anno 1868 correcta tempore Directorii: Jeschke, Pomieczyński, Gramse, denique recensita sunt a. 1884., ministrante Directorio: Neubauer, Ograbiszewski, Rosentreter. Novissime a. 1906. in Convent. general. mutata et a Rmo. Loci Ordinario D. Augustino Rosentreter approbata, a subscripto Directorio Sodalibus observanda proponuntur.

Regulae

vitae spiritualis et sacerdotalis conservandae et in dies perficiendae, Sodalibus commendatae.

1. Ordinem diurnum et vivendi normam ecclesiasticam tibi statue, quam saepe relegas et constanter serves. Qui regulae vivit, Deo vivit.
2. Recollectionem quandam spiritualem singulis mensibus institue, et quotannis, si fieri potest, secessum sacrum pete.
3. Orationi diligenter stude, et officium divinum quotidie quam religiosissime persolve. Orationis fructus Deo offeras ad impetrandas speciales intentiones tibi animisque tibi commissis, praesertim induratis peccatoribus.
4. Lectioni spirituali necnon piae meditationi singulis diebus saltem per aliquot minuta vaca.
5. Examen conscientiae vespertinum nulla die intermitte.

6. Missae sacrificium cum debita praeparatione et gratiarum actione celebra, et SS. Sacramentum saepissime visita et adora.
7. Confessionem sacramentalem ad minimum singulis mensibus facito.
8. Ad literas theologicas diligenter incumbe, et continue rebus honestis et utilibus occupatus esto.
9. Temperantiae, sobrietatis et castitatis studiosus esto, devita et fuge comessationes et oblectationes profanas, sicuti consortia mundana et periculosa.
10. Esto fidelis in Dei amore et misericordia eleemosynarius in pauperes et in necessitates ecclesiasticas, et noli thesaurizare tibi avaritia et peccato thesaurum divitiarum terrenarum, sed aeternum thesaurum comparatum virtutibus sacerdotalibus animisque tua opera diabolo ereptis.
11. B. V. Mariam filiali devotione cole, et S. Ignatii aliorumque sanctorum sacerdotum, quorum vitam legas, vestigiis insiste.
12. Exempla prava ne imitare, sed in omni-

bus sis Ecclesiae nostrae Romano-catholicae conscientiosus et obediens filius et sacerdos.

Hoc fac, et vives.

Preces

a quovis Sodali quotidie recitandae.

Ad Immaculatam Conceptionem B. M. V.

Ant. Virgo singularis, inter omnes mitis, nos culpis solutos mites fac et castos.

V. In Conceptione tua Virgo immaculata fuisti.

R. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti.

Oremus.

Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti, quaesumus, ut, qui ex morte ejusdem Filii tui praevisa eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos ejus in-

tercessione ad te pervenire concedas. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio.

Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, aut tua petentem suffragia, a te esse derelictum. Ego tali animatus fiducia, ad te, Virgo virginum, Maria, Mater Jesu Christi, confugio, ad te venio, ad te curro, coram te gemens peccator et tremens assisto. Noli, o Domina mundi, noli, aeterni Verbi Mater, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi me miserum, ad te in hac lacrimarum valle clamantem. Adsis mihi, obsecro te, per sanctam Virginitatem et Immaculatam Conceptionem tuam, ut emundes cor meum et carnem meam, ut in statu gratiae perseverem, in eoque omnia officia sacri muneris mei peragam bonisque exemplis proximum aedificem. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria!

Ad S. Ignatium.

Ant. Idcirco posui te, ut ostenderem te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra.

V. Ora pro nobis sancte Pater Ignati,

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui ad majorem tui Nominis gloriam propagandam, novo per beatum Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti, concede, ut ejus auxilio et imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in coelis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Preces

quovis Sabbato addendae.

Oratio
ad renovandam gratiam ordinationis.

Omnipotens Deus, qui non meis meritis, sed unica gratia tua posuisti in me ver-

bum reconciliationis, et pro Christo legatione et sacerdotio ejus fungi tribuisti, resuscita in me gratiam, quam dedisti mihi cum impositione manuum presbyterii. Fac me dignum tuis altaribus ministrum, fidelem et prudentem dispensatorem mysteriorum tuorum, tamque sanctum, irreprehensibilem et placentem tibi mediatorem inter te et populum, ut semper placem te et exaudias me. Combure me zelo gloriae tuae, et meae omniumque hominum salutis, eorum imprimis, quos commisisti mihi. Attendam lectioni, exhortationi et doctrinae; mundum oderim et fugiam, diligam vero solitudinem; duc animam meam in eam, ibi loquere ad cor meum et doce me, quid primus faciam et alios doceam. Utque mihi et illis necessarium gratiae tuae auxilium obtineam, fac me virum orationis continuae. Sacrificia mea consumantur et placeant tibi, Domine, quotidie; jugi mortificatione carnis et spiritus immoler ipse supra sacrificium, gestemque in pectore meo judicium omnium in conspectu tuo semper, ut mihi et illis, quidquid scis opus esse concedas, per summum Pontificem nostrum Jesum Christum,

Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Litaniae Lauretanae.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de coelis, Deus, miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi, Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte, Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,

Ora pro nobis.

Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater boni consilii,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiae,
Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,
Janua coeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,

Ora pro nobis. — Ora pro nobis.

Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,
Regina sine labe originali concepta,
Regina sacratissimi Rosarii, +

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Ave Maria.

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix; nostras deprecationes ne

+ Regina pacis - ora pro nobis,
Regina Poloniae ora pro nobis

despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta. Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra: tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.

V. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix,
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde, ut, qui Angelo nuntiante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

V. Ora pro nobis beatissime Joseph,
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur, ut,

quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Haec statuta Sodalitatis Ignatianae revisa cum annexis approbavimus.

Pelplini, festo s. Ignatii die 31. Julii 1907.

† AUGUSTINUS.

201